

- potestatem vel eius vicarium et dicente plane et secrete illum quem eligere vult et // quem elligit, non audiente cancellario comunis; quo offitiale sic dicto et publicato eidem domino potestati vel eius vicario, tunc idem dominus potestas vel vicarius propallare debeat cancellario comunis quod scribere debeat talem ellectum per illum elect(i)orem qui eum elligit; et si talis fuerit iam electus, tunc cancellarius dicat lectori quod elligat alium quia quem eligit iam electus est. Et donec talis elector non elligerit, nullum breve detur ulterius, et donec tales offitiales non fuerint electi, ne quis consiliarius intrare nec stare debeat intus stangam, exceptis offitilibus curie, que stanga stare debeat clausa tunc quando tales offitiales fiunt.
- ¶ Et de hiis qui habuerint brevem in dicto consilio, exire debeat de dicto consilio pater pro filio, filius pro patre, frater pro fratre, avonculus pro nepote et nepos pro avonculo, et filius fratris et sororis, et tunc quando tales propinqui occasione propinquitatis exsiverint de dicto consilio, si non habuissent brevem, extrahantur tot brevia alba pro ipsis quot fuerint consiliarii qui exsiverint occasione dicte propinquitatis.
- ¶ In quo quidem consilio cancellarius comunis propallare debet a(n)t omnes non valentes habere tale(m) offitium quod fieret in dicto consilio.
- ¶ Et quod, quando fiunt offitiales, antequam aliqui offitiales balotentur, dominus potestas facere debeat connumerare omnes consiliarios existentes in dicto maiori consilio, et numerum dictorum consiliariorum fatiat propallare in dicto maiori consilio, in quo quidem consilio precones comunis portare debeant piscides, donec tales offitiales fuerint confirmati; et tunc quando aliquis offitialis fit in dicto consilio, si inveniretur esse posite plures balote quam essent consiliarii in dicto con- // scilio, tunc tale partitum iterato poni debeat in maiori consilio, dum pervenerit ad numerum dictorum consiliariorum. Et quod quicumque fuerit electus in aliquo offitio in uno consilio in quo fierent plures offitiales, amplius in dicto consilio eligi non possit in aliquo offitio. Et quod quicumque habuerit aliquod breve et elligerit unum offitiale qui offitialis esse non posset, quod tunc eligat alium, antequam alia brevia dentur et antequam

59 B

60 A